

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

M A N N I A.

Q U A M,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

D A V I D S T U A R T,

AMERICANUS.

Canst thou not minister to a mind diseas'd;
Pluck from the memory a rooted sorrow;
Raze out the written troubles of the brain;
And with some sweet oblivious antidote
Cleanse the stuffed bosom of that perilous stuff
Which weighs upon the heart?

SHAKESPEARE

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXVII,

DISTRICT OF COLUMBIA
INDEPENDENT
COMMUNAL LINE

DOCTOR M. A. G. N. O.
PROPRIETOR
S. U. O.

HOCCE

D. D. C.

A U C T O R

C U L L E N O

M A G N O,

P R Æ C E P T O R I S U O,

H O C C E.

D. D. C. e.

A U C T O R.

Dr Duncan

from the Author

DISPUTATIO MEDICA

DE

M A N I A.

TAM parum prope inter medicos, morbos mentis ad ordinem nosologicum redigendo, quam de ejus operationibus inter philosophos, constat. Nec rationi consentaneum videtur, rem aliter se habere, quum animo perpenditur quantum olim hi morbi, per omnes medicinae partes, indistincti inter se et alios morbos jacuerint. Cuivis equidem haec consideranti clarum erit, multum jam fecisse medicos, quum in re difficili aliquid vel tentasse magni sit. Et plurimas commeruisse laudes eos, qui haec pericula

A

fe-

fecerunt, ab omnibus facile concedendum erit, qui, cogitationis facultatem beneficium optimum homini a Deo collatum, aestimant. Quid enim spectaculum magis luctuosum est, quam hominem videre deperdita ratione, qua fere sola caeteris animantibus distinguitur et prope ad deos accedit, insanientem, et ora turpiter foedantem unguibus?

Magno certe foret ufui varia nosologorum in illa re conamina notare, et quantum inter se distent ostendere. At id lubens praetermittam, quantumvis utile foret, ab omnium, excepto forte Culleno celeberrimo, erratis, quantum ingenii acumen postulet, in innumerabili disquisitiones cum fructu intrare iudicans.

D E F I N I T I O .

Nullus, credo, est inter maniae scriptores, qui aliorum repudiando definitionem, huic morbo inditam, ut mancam, non ipse novam excudit: Et nova semper excudenda erit, quoties tam absurde de sensationibus, sensuum

suum delusione, et nimis debili et vivida objectorum perceptione, verba fiunt. Quae de his dicuntur nimis in obscuro sunt, quippe cum variant summopere perceptionis gradus in eodem homine diversis temporibus, et plurimae mentis functionum a statu solito aberrationes sint, quae maniae tamen nomen haud merentur. Quam difficile sit hanc rem penitus expedire testatur * vir jure summæ auctoritatis, in omnibus quae ad mentem pertinent. Qui, postquam quaedam notavit necessaria ad maniam constituendam, haec addit verba. "These circumstances are variously combined, in the various kinds and degrees of madness, and some of them take place in persons of sound minds, in certain degrees, and for certain spaces of time; so that here, as in other cases, it is impossible to fix precise limits, and determine where soundness of mind ends, and madness begins."

His

* Hartley's observations on man.

His quamvis difficultatibus pressus, infaniae tamen definitionem ita tradere aggrediar. Ut quandam sibi constantiam omni tempore et in omnibus locis conservet, mentem ex quibusdam certis principiis in facultatum ejus exercitio dirigi necessarium esse videtur. Cum quodam quasi ordine statuto vique ab objectis externis mens imprimitur; et haec intus, ob quandam inter ea similitudinem, vel cognationem, proinde conjungere inducitur, et memoriam ejus operis recondit. Quando igitur his principiis, et modo solito, quo impressiones accipere solita sit, dirigi desinit, et simul istius similitudinis vel cognationis inter objecta memoriam cum conscientia illa, quae cuncta sua opera comitatur, nosque tenet nobismet ipsis per omnem spatium temporis devinctos, omnino deperdit, tum insanire dicenda est. Sic enim positum hominem, et nulla habentem principia nexus inter ideas suas, haud aliter impulsurum fore ab omnibus animi pathematis, quam navem sine gubernatore, ventis et fluctibus furentibus, manifestum est. Hanc nostram defini-

tionem optime stabilit, quod narrat Aretaeus de quodam lignario, qui domi prudens erat operator, et in loco ubi arte sua fungebatur, mente sua constabat; at, simul ac in forum vel alio discederet, depositis instrumentis, et e conspectu illius loci progressus, penitus insaniebat et furore rapiebatur; ad eundem vero locum recurrens, ad se cito redibat; tanta, ut ait ille, cognatio inter hunc locum et viri mentem erat. Postremo, ubi sensus multo minori gradu aberrant, sicut in mitioribus delirii speciebus, haec cognatio inter mentem et illa omnia, quibus ea diu assueverit, adeo manifesta evadit, ut nullum certius his remedium sit, quam illa menti restituere. Huic insaniae characteri optime accommodatur Culleni definitio maniae, quae sic breviter traditur, “* insania universalis.” Et haec adhuc accuratior foret, si, observante eodem viro clarissimo, verbum *fere* suppleatur; quippe enim maniacis commune est hodie furere, et cras mites se gerere in omnibus. Nec

* Vide Nosolog.

Nec ab Aretaei definitione mentis alienatio diuturna omnino abhorret.

Huic loco proprium esse videtur aliquid observare de maniae divisione, quoniam de singulis ejus speciebus haud in animo est differere. Plurimae equidem sunt illae, quas tamen omnes complecti videntur plerique sub duobus capitibus generalibus. Sic eam in Essentialem et Consensualem partitur Hoffmannus; priorem ita nominans, ob primariam mentis affectionem, vel, ut loquitur ipse, ex cerebri et meningum labe, posteriorem ex spasticis constrictionibus aliarum partium: Quem sequitur nuperrimus auctor in ejus divisione illius * “into original and consequential.” Caeterum ut difficillimum est, si non omnino impossibile, judicare quando sit unus, quando alterius generis, ob intimam inter mentem et corpus connexionem, melius est illam potius distinguere ex natura delirii vel ferocis vel mitis, quod illam comitatur. Cujus

di-

* Battie on madness.

* Hoffman de affectu maniacis, non, sic, in foemina

ob causam eandem essentialis maniae occurrunt.

divisionis usus in curatione perficienda, et remediis adhibendis, maxime patebit.

H I S T O R I A.

Quoad anni tempestatem ; maxime grassari hunc morbum affirmatur calidissimis anni temporibus, et his praecipue plagis, ubi calor plurimum valet. Et, si quando per quoddam tempus sanata esse visa sit, illis tamen temporibus magnum instare periculum, ne denuo invaderet, observatum est. Juvenes magis affectat, quam senes, et sexum saepius virilem quam foemineum *. Inter juvenes, tales prae caeteris adfectat qui ad iracundiam natura procliviores sunt, et hilari gaudent animo, cum habitu plethorico, fibrarum tensionem praebente. In hujusmodi corporis habitu, ingruit nonnunquam sine ullis, quae ejus adventum praenunciant, signis, plerumque tamen his symptomatis stipata invadit. Rubescunt oculi, et motibus convulsivis vibrant; urget dolor vehementior

capitis,

* Hoffman de affectu maniaco, ' necnon,' ait, ' in foeminis ob causam eandem essentiales maniae rarius occurrunt.'

capitis, et robore in immane aucto, exhibet aeger portenta virium. Vultum subinflatum prae se fert ac attonitum, haud abfimilem cuidam e somno alto expergefatum ex magno quodam fragore terribili. Jam instante delirio, mentis facultates adeo penitus turbantur, ut omnia absurda homo deblateret, sibi tamen pro veris affingens de illis ratiocinetur. Quasi furiis agitatus vix vinculis coerceri potest, amicos pariter ut alienos temnit, et eorum de sua salute consilia omnino negligit. Modo hilaris, modo lacrymans, jaetat se miserandus huc et illuc, et lumen ipsum perosus, et illa, quae olim vitae solatia ducebat, refugit. Morum tanta fit nonnunquam commutatio, ut, qui antea modestos et verecundos se praestitere, omne jam obscaenum, omne impudicum, cum gaudio maximo prosequantur. In somnis aliquando per totas septimanas vexatur horrendis et haud raro ludicris rerum phantasmatis; dum omnem frigoris et famis sensum amittit; membris enim horrore rigidis, et corpore ad usque mortem

mortem emaciato, manebit ut statua in eodem loco immobiliter defixus: Cessant secretiones et excretiones omnes perverse vitatae. Veneris indulgentiam nonnulli vehementer concupiscunt. Audaces ad omnia videntur, et magni quamvis periculi contemptores videantur, ad timorem tamen faciles sunt. Iustus plerumque per totum morbi decursum haud naturalem ordinem excedit, et cum maxime ejus statum, qui in homine ira violenter commoto est, refert.

Hoc modo perstat saepe morbus sine aliqua vel parvula tantum intermissione; at plerumque intervalla lucida adsunt, quae circuitibus redeunt. Cum vero jam inveteravit, contraria iis quae supra narravimus succedunt. Quiescunt symptomata ista violentiora, dejicitur animus, et ideis quasi omnigenis vacuus, adeo stupidus et desipiens fit homo, ut vix sentiat impressiones, utcumque vividas et fortes. Vix denique ullo modo excitari potest, si loquitur maximam in sermone incoherentiam praestat. Vitam longaevam reddere dicitur mania, et adver-

fus morbos contagiosos optimum esse prae-
 dium. Exacta jam symptomatum et eorum,
 quae morbi naturam ostendant, quantum
 maxime potui, narratione plena; inquiren-
 dum deinceps est, ecquibus signis a mor-
 bis consimilibus distinguatur.

D I A G N O S I S.

Adeo adfinis est melancholiae, opinione
 Boerhaavii, mania, ut hanc illam tantum
 auctam existimet. “Si,” inquit, “melan-
 cholia eousque increfcit, ut tanta accedat agi-
 tatio liquidi cerebrosi, qua in furorem agan-
 tur saevum, mania vocatur*.” Et nos facile
 assentimus, perquam difficile esse limites ju-
 stos inter morbos, qui tot inter se communia
 habent, statuere; at distinctioni locum esse,
 hinc forsitan haud perperam probatur, quod
 melancholici quotidie occurrunt, qui nun-
 quam mania tentantur, tametsi per totam
 usque vitam priori illo morbo graviter labo-
 raverunt.

* Aphor. 118.

taverunt. Et praeterea, tum morbi utriusque initia, tum accessiones ita differunt, ut in melancholia magis paulatim et lente incidant, in mania vero magis repente, praesertim si quem sanguinolento habitu invadunt. Dein in temperamentis istis melancholicis, in quibus mania se tandem manifestaverit, videtur infania partialis semper prius, plus minusve invaluisse. Huc adde, quod anxietas et infania in melancholia, praeterquam quod partialis est, magis futurorum timori, quam praesentium et instantium, deberi videtur. Ex anni etiam tempestate, melancholiam magis pariente, aliquid discriminis trahitur; quippe quae, frigida et nebulis magis obducta melancholiae, contraria maniae, faveat. Omnino supervacaneum foret multa impendere verba differentiae, qua hic morbus a phrenitide et delirio febrili discernitur; satque est, febrim validam cum furore istis subesse, ab hoc vero abesse. Hanc diagnosis, quamvis sic breviter expositam, conspicuam tamen satis fore spero. De causis jam differendum est, et in primis,

PRÆDISPONENTIBUS.

Ex diversitate quadam in primaria solidorum corporis conformatione, quosdam ad alios morbos procliviores esse, quam alios, pro vero constat inter omnes. Ex qua vero re pendeat plerumque hæc diversitas, nemini adhuc detegere contigit. At, quatenus ratio et observatio suadet, diversa constituta temperamenta, quibus vis vitalis diversimode polleat, videntur. Et, quoad mentis facultates, mirum est quantum hæc etiam hæc diversitate afficiantur. Conjectura est verisimilis temperamentorum diversitati implicari varios ingenii gradus. Eorundem vero mobilitati nimiae, qua mens nunquam sibi constans, continuo ad amorem vel metum et similes affectus fertur; proclivitatem ad maniam inniti, sicut et ad plurimos alios systematis nervosi morbos, haud dubium est. Talem mobilitatem optime indicant oculi, qui, nihil fixe et diu intuentes, per omnes partes perturbatae vagantur; simul illis, qui ea praediti sunt, omnia cum impetu agere

mos est; vice loquendi vociferantur, et vice risus ora mille modis distorquent, adeo ut muscoli faciei aliquid saevum et horrendum semper exprimentes, certe physiognomiae peritis occasionem facilem praebent, futurum morbum, aliquot forte annis antequam reapse incidat, praevidendi. Bene notum est, differre morbos toto coelo, prout in plagis diversis incidant, et prout plus minusve vel caloris vel frigoris in illis dominetur. Sic universim frigidis locis proprii sunt, qui inflammatorio sunt genere, sicut pleuritis, rheumatismus, et aliae fere phlegmasiae; quia frigoris vera progenies est diathesis inflammatoria. At calidis regionibus, nervosi dicti maxime sunt communes, ut febres, hysteria, tetanus, colica, et similes qui sunt. Nec hujus ratio longe petenda est, quippe calor systemati majorem confert mobilitatem et excitationem. Hae causae sunt, quod in incolarum ejusmodi regionum, lingua, religione, institutis, et imperii formis, nihil est moderatum, nihil secundum rectam rationem, et quod ipsi maniaci apte viderentur,

si comparetur eorum levitas, ad firmitatem et constantiam notabilem in frigidioribus locis degentium.

Eadem mobilitas auctior, in florente aetate conspicua, causa vera haberi potest, cur hanc aetatem adeo saepe adoritur. Omnis enim generis deliramenta huic infesta sunt: Quod quidem observat in illa re vir historia jure praeclarus, loquens de his, qui omnes sui memores fecerunt horrendis facinoribus: “ I have observed, that all those who have committed the like crimes, from inward persuasion, were young men like Seide. Balthasar Gerard was about twenty. The four Spaniards who had agreed with him to kill the Prince of Orange were of the same age. The monster who stabbed Henry the Third was but twenty-four. Poltrot, who was the assassin of the Duke of Guise, was twenty-five; and Shepherd, who undertook to murder George the First, was a boy of only sixteen. It is the aera of illusion and enthusiastic rage *.”

Forfitan

* Voltaire.

Forſitan aliquis credat, ob eandem cauſam, ſexum foemineum maxime obnoxium eſſe huic morbo debere. At, praeter rationem, quam citat Hoffmannus, eum minus aptum illi reddentem, ex corporum conformatione tractam, alia eſt veriſimilis, quae hujus ſexus generi vitae et moribus innititur. Ex genere enim vitae, is ſexus non tantopere pati varia animi pathemata, quae poſtea enumerabimus ut cauſas potentes hujus morbi, periclitatur. Et quoad mores; imbecillitatis ſuae conſcientia humaniores longe faciens, moderamen in ipsis procreat in rebus omnibus, et cauſa eſt manifeſta, cur imbecillitati potius acquieſcant, quam virorum more contra reſiſtere querant.

Tantum tamen in poteſtate noſtra poſitum eſt a natura, corpora noſtra vel robuſta vel debilia efformandi, ut ſaepius fortaffe acquiſita ſit, quam a parentibus accepta, haec mobilitas. Sic inter gentes iſtas terrae noſtrae, quae adhuc rudes ſunt, et feliciter gaudent natura ſimplici, pene ignota eſt horrenda

renda illa * morborum caterva, qui auctae mobilitati debentur. Quippe enim istae ad naturam explendam non turpiter utuntur convictu lauto, ex mari terraque petito, sed diaeta parcissima contentae sunt, cujus est nec plethoram nimiam dare, nec mores effraenos reddere. Sic etiam inter nos, vulgus hominum, qui simili prope ratione vivunt, quantum divitibus corporis fibrarum firmitate antecellunt ! Lubens ergo credo, paucos ex hoc numero publica receptacula infanorum adire. Est civitatum et oppidorum magnorum inertia, luxus, mollitudo, diversaque studia, quae occupantur cives, quae corpus et mentem praeparant huic morbo, et exiguis momentis excitant. Hinc fit, ut compleantur domicilia ista, aut omnino fortasse necessaria sint ; quod certe argumentum validum his iupinistrat, qui artes derident, et parum vitae humanae utiles esse judicant †. Structuram peculiarem in partibus organicis huc etiam disponere credibile est,

* Tiffot on the disorders of people of fashion.

† Rousseau discours sur les sciences et les arts,

est, at * “illam ita detegere, ut ex structura posita morbus necessario sequatur, huc usque impossibile est.”

Mira apud omnes habetur consuetudinis vis, quae aut augere aut minuere valet animi passiones, et illa quae olim gaudio fuerunt ingrata reddere, et quae denuo ingrata jucunda vertere. Duobus operatur modis in mentem, primo facilitatem praebendo aliquid vel agendi vel intelligendi, et postea animum ad illa disponendo. Et hinc, ex effectis quae ita oriuntur, facile concipi potest, quomodo proclivitatem ad maniam acquirant, qui assueverunt saepius efferri propria animi vi, vel alios sic violenter commotos contemplari. Plurimi, ut mihi persuasum est, placidi principio, sic tandem in furiosum conversi sunt, Orestes^m, solem geminum, et duplices Thebas videre se imaginatus est^{ntem}; sic quoque quis adeo strenuus et fortis est, ut vomenti adsians non sentiat in se ipso nauseam, et quandam quoque vomendi cupiditatem?

C

C A U-

* Lorry.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Inter numerum pene infinitum potestatum nocentium positum est corpus humanum, quae varie sane vires suas exerunt. Certe morborum rationem contemplanti ad animum adcurrent, easdem saepe causas agere, morbos omnino inter se distantes inducendo. Unde aut quomodo hoc fiat, explicatu non facile *. Earum vim procul dubio auget feminium ; quatenus vero res maniam spectat, illam de natura benigne sentiens, longe saepius ex his applicatis oriri volo, quas hinc jam consideraturus bifariam dividam.

Primo, De illis agam quae magis ex mente pendent; dein de illis quae ex corpore.

Primo,

* Ut ait De Haen, paralyfos, epilepsiae, apoplexiae, cataphorae et lethargi convulsionis, aliorumque cerebri morborum causae reperiuntur eadem. P. 4. cap. 5. de apoplexia et morb. nerv.

Primo, Mentis sedem esse cerebrum, ut probetur, nullis jam eget ratiociniis. Vix denique credibile est, quenquam in contrariam unquam iturum sententiam, qui physiologiae peritus sit, et cerebri frequentes dissectiones instituens, nervorum originem et pulchram eorum distributionem per ejus substantiam inspexerit. Id sensorii communis nomine, quippe omnes in se continet rerum externarum notitias, appellatur. Has in vigilantiae statu comparando, continuo occupari delectat mentis activitatem, quam porro ad sustinendam et materia supplendam tota mundi facies,

‘Quicquid ubique vides coelum, mare, nubila, tellus,’

Omnia conspirant. Hinc ergo novus exortitur menti fons gaudia sibi conficiendi, quae, ut natura est cujusque, varie feligit. Poeta alius captat dulces imagines rerum, et suum et amicorum tentat fallere dolorem, longa-que solari fastidia vitae suave canendo. At feriis alius magis intentus, in abdita rerum
altius

altius pénétrat, et coeli terraeque arcana depromit. Hic solis radios metitur, lunamque errantem rationibus affequitur. At, prohi infortunium! nimia haec animi attentio totum idearum ordinem conturbans, causa saepe est impia, quae hominem e sensibus dejicit. Sic diu observatum est, haud longe a mania remotos esse, qui ad summum perfectionis pervenere in mentis facultatibus exercendis; quod nec a fide nec a ratione abhorret, si vera sit observatio, varios ingenii gradus, et praeclaras animi dotes, omnes deberi cuidam excitationis statui. Ita enim re se habente, additamentum tantum illi faciet animi attentio. Mentionem facit celeb. Morgagni * cujusdam viri, qui semper stillabat guttas aliquot sanguinis, quandocunque studiis matutinis sedulo invigilaret. De hac quoque re ita loquitur illust. Gaubius, “ Cogitationum in eandem rem intensio non interrupta, rari sunt quibus non magnopere noceat. Etenim pars illa sensorii communis,

* De sed. et caus. morb. epist. 13. art. 13.

munis, quae sola tum in actione est, et in quam tota veluti mens omni sua vi incumbit, violentiam patitur haud minorem, quam muscoli singulares fortiter diuque contracti.” Studiorum ergo varietas, ut mentem jam fatigatam longa in eadem re consideratione, novis quasi ideis reficit, admodum est utilis, et ab omnibus scientiae petitoribus institui debet. Nimis intensa ad maniam saepe impulit.

Ex hac vero causa patebit, exiguam tantum hominum partem affici periclitari. Pauci tantum studiis dediti sunt; sed ab ira, gaudio, et similibus adfectibus, quae omnes adficiuntur, similia prorsus sequuntur. Et, dum tantae et subitae mutationes totum naturae systema continuo corripiunt, haud aliter fieri potest, quin homo illis saepe tentetur modo violento. Hinc ergo varii alii animi affectus oriuntur, qui effectus peculi-ares in corpore edunt. Deprimunt quidam mentem, et sanguinis motum impediunt; dum alii pene extra se hominem efferunt, et totum systema excitatum reddunt. Ex illis,

illis, qui sic graviter agunt, semper metus est, ne mania vel alia mentis affectio excitetur. Refert magnus Morgagni * duas historias, ubi excitationis statum adeo gravem induxit gaudii et irae subita invasio, ut mors cito inde subsequeretur. Irati denique adeo in omnibus, quoad vultum, verba, et mores, insanis similes sunt, ut apud omnes merito insania brevis habeatur ira. Sic unusquisque, credo, insanum judicaret Xerxem, cum primo navium ponte trans Hellespontum ventis destructo, tantum commoveretur, ut mare juberet trecentis plagis caedi; et vincula insuper injici, verba simul crepitantia addens, quasi ratione praeditum existimaret †. Inter omnes vero animi adfectus amor est, qui, si historiae fides habenda sit, ad furorem saepius adegit. Praeterquam enim quod ad aetate florentes maxime pertinet, cum nil nisi laetum mentem subeat, et ad omnia violenta proclivitas ingens sit, nullus adfectus

* Epist. 38. art. 2.

† Herodot. lib. 7.

adfectus est, qui vim habet latiore in judicium et opinioniones nostras: Adeo ut, praeter infelicem Phaenissam, multi hoc dementes impulsis, omni rejecta spe solatii, lethum ipsis propria pepererint manu.

Quantum et religio valeat ad mentem vanis timoribus implendam, et metu Tartari excruciamdam, bene notum est. Multi procul dubio ex hac causa insaniunt, quos magis refocillant sancti alicujus viri dicta, quam medici remedia. Nec quisquam hujus causae potentiam mirabitur, qui non ignorat quam grave sit scelerum actorum memoria, quoque modo haec animus sibi vero majora pingat. Quorum conscientia, vel fortissima denique pectora, pariter cum natura timidis et meticulosis, violenter angit. Quam horrens animus ea refugiat, et eorum turbida imagine tremens reformidet, optime depinxit poeta, qui hominis ingenium et naturam calide novit, in caractere illo nefariae mulieris his verbis: "Here is the smell of blood still; all the perfumes of Arabia will not sweeten this little hand. Oh! Oh! Oh!

wash

wash your hands, put on your night-gown, look not so pale.—I tell you yet again, Banquo is buried; he cannot come out of his grave.’ SHAKESPEAR.

Oppida magna maxime idonea esse ad insaniam progignendam, ex hominum in illis degentium sordidis studiis, supra dictum est. Quod verisimilius etiam videbitur, si concedatur, avaritiam et lucri immoderatum desiderium in illis violentissime ardere. Itaque illustris vir et medicus Mead, longe plures fieri maniacos anno 1720 *, cum omnes spe erecti, quisque se fore cito aequalem At-talo divitiis existimaverat, quam ullo alio tempore, animadvertit. Et, quod notatu dignum est, et maniae naturam bene ostendit, eos magis hoc malo corripi, quibus bene, quam quibus male, cesserat, idem observavit. Nonnullos musices vi adeo ex sensibus raptos fuisse legimus, ut prorsus insani hinc quoque fierent; quod certe debetur potentiae ejus hilaritatem concitandi, et fibrarum

* This year was famous for the South Sea scheme.

brarum muscularium tonum augendi. Eandem hanc rem optime illustrat, quod apud Helveticos illos milites, qui mercede se conducunt, cum haud exiguo ipsis certe dedecore, et in longinquas regiones proficiscuntur, interdictum est omnibus, dum sic longe solo natali absunt, carmen certum nomine *rans des vaches* ludere * eorum patriae proprium. Quippe quod eos adeo violenter commovet, ut omnis disciplinae militaris obliti, imperatorum dicta temnant. Eodem etiam mori quidam memorantur. Videtur cerebri actio inter certos angustos limites circumscripta esse, quos ultra cum procedit, cujusdam ea in idearum ordine et tenore confusionis, sicut et excessus in motu, causa semper evadit. Caeterum non judicanda est causarum aptitudo hoc efficere, per earum solam vim. Respiciendum etiam est ad modum subitum et insperatum, quo invadunt illae. Paucae enim forsitan adeo validae et noxiae sunt, quas non tuto mens arcere pos-

D sit,

* Vid. Rousseau. dict. musiq. vocab. musiq.

fit, dummodo sat caute admoveantur. Priore jam divisione exacta, ad secundam transeo.

Secundo, De illis quae ex corpore pendent. Plurima sane mala in corpore exoriuntur, quae ad sensorii functiones suam demum vim propagant, et illas penitus subvertunt. Sic vulnera capiti inflicta ab ictibus, fracturis, caeterisque, quae evidenter cerebrum concutiunt et laedunt, maniam necessario inducunt. Tumores quoque et exostoses intra cranium, quatenus liberum sanguinis transitum impediunt, et hinc congestionem gignunt, inter ejus causas adnumerentur. Cerebri vero constitutio optime accommodatur ad omnes propellendas injurias, quae ex sanguinis congestionem oriuntur. Plurima enim sunt illi vasa, quae anastomoses frequentes instituunt, et magni sinus. At, inter tot vasa, quantalibet sapientia constituta, nil prohibere potest, quin quaedam magis turgida sanguine fiant, quam alia.

Apte hic commemoratur solis effectus maniam producendo, quae Insolatio dicitur,

quo-

quoniam evidens est, eam hac via effici. Causam quoque fieri quodammodo maniae, novae et plenae lunae potentiam, hinc colligimus, quod prope universum, nullo apud vulgus hominum fere adhibito discrimine, mania correpti, Lunaticorum nomen adepti sunt. Complura exempla refert vir saepius relatus Meadius, quibus adeo manifesta erat lunae potentia in epilepsia, ut ille paroxysmorum tempora certissime plerumque praenunciare posset. Idemque propria experientia adductus, omnes morbos nervosi generis ea causa maxime affici affirmat. Ex profluviiis et excretionibus solitis suppressis, quae sunt menses, haemorrhoides, et similia, quae plethorae, ex qua pendent vasorum tensio et cerebri excitatio, causae sunt, mania saepe exoritur. Plurima sunt venena, velut opium, hyosciamus, belladonna, aliaque, quae stimulantem suam vim in systema simili modo edunt. Huic quoque pertinet vini nimius usus. Memorant medici exempla, ubi aliis morbis laborantes, repente maniaci facti sunt. Ejusmodi tradit Meadius, et, in prae-

lectio-

lectionibus suis, Cullenus de podagra et anasarca laborantibus. At, in pluribus exemplis, fatuitatem illam, quae in corporibus exhaustis et summae debilitatis exoritur, pro mania habuisse videntur medici *.

CAUSA PROXIMA.

Plurimum, ab omni tempore, inter medicos controversum est, de commodis, quae causae proximae notitia conferre, aut non, existimaretur in morbis medendis. E quibus, qui inutilem et parum necessariam eam habuerunt, hanc fere sententiam complecti videntur, potius rei difficultate, et quod ipsi illam plene evolvere nequibant, quam alia causa, inducti. In confesso enim est apud omnes, morbi naturam tum solum bene notam haberi posse, quando haec quam clarissime patet. Materiae morbidae fautores hanc positam esse in sanguine crasso, cui nomen atrae

* Vide Sydenham.

atrae bilis imponunt, existimarunt. Cujus utique doctrinae ineptia et absurditas omnibus jam abunde explorata, jam merito scholis exulat. Ex legibus systematis nervosi omnia certe ad medicinam aptius attinentia, et majore cum ratione, explicantur. Et procul dubio si spectetur quam expolitiores, quam olim, hae generis nervosi leges Culleni opera et ingenio nuper factae sint, vix fieri potest, quin fateatur grata posteritas, hunc esse, quem olim designavit Seneca, ore fatidico, haec loquens, “Veniet tempus cum ista, quae nunc latent, in lucem dies extrahat, et longioris aevi diligentia. Veniet tempus cum posteris nostri tam aperta nos nesciisse mirentur. Erit qui aliquando demonstrat.”

In systematis ergo nervosi, et maxime cerebri, quodam statu positam esse crediderim. Cerebrum ita constitutum esse, ut diversos status, quorum in quibusdam melius, quam in caeteris, mentis fit exercitatio, subeat, ex magna hujus facultatis differentia aliis temporibus in eodem homine patet; quod et in homine lasso et denuo refecto manifestum est.

In horum posteriori statu, qui status excitationis appelletur, summa est ad impressiones aptitudo, et in idearum successione et recurrentia summus ordo. At adeo accurate comparantur omnia a natura, ut facile hic excessu peccetur; et delirium tunc adesse * dicitur, cum quis ideas ab internis causis natas ad res externas refert, et praesentia esse existimat quae absunt. Cumque hoc ex variis rebus in systemate pendeat, valde frequens erit. Genus unum saepe occurrit, quod auctis viribus, pulsu valido, ingenti capitis dolore, et ad lucem strepitumque aucta sensibilitate adveniens, praevидetur. Idem ex impetu solo sanguinis pendere, prout nempe hic vel velocior, vel lentior forte fit, credi posset, ni experientia quotidiana maxime adaugeri posse impetum, sine ullis delirii incipientis, vel minime denique in mente perturbationis signis, addoceret. Aliud genus est, in quo exiguus sanguinis impetus est, et vires imminutae videntur. Haec ambo genera in mania occurrentia, et eam omnino constitu-

entia,

* Gaub.

entia, ad cerebri excitationem, quocunque modo obstructam, referri possunt. Obstructam dico, quando in aliqua cerebri parte excitationis vel defectus vel excessus est. Ex mutatione enim sic inducta vel integri, vel ex parte, cerebri, quod antea diximus sensorii communis sedem esse, patet, confusionem quandam, in idearum natura et ordine consueto, nempe vasariam, orituram. Ne autem omnino incredibile videatur, defectum excitationis in aliqua parte, et excessum in altera esse, id breviter ita explicare conabor, ut res perquam obscura recipit. Omnis motus vel actio in cerebro fit per fluidum nervis annexum : Opinio, quae hoc officium assignat fluido, vetusta, et ab omnibus fere recepta est, solumque de ejus natura ambigitur. Ex cerebri cum glandula similitudine, Boerhaavius fecerni hoc fluidum et per nervorum tractum diffundi opinatus est. Qua tamen, ut et aliis omnibus rejectis, ut parum argumentorum idoneorum pondere suffultis, et toti seriei sentiendi phaenomenon incongruis, illam potius amplector, quae in

hu-

humore elastico tenuissimo, haud secreto, sed nervis semper haerente, cujus summa mobilitas optime oscillationi vel vibrationi aptatur, potestatem nervosam ponit. Soni in aëre communicatio, ut et impressio in organa sensus, quas per tremores agi, nemo inficias ibit, quantum in tali re fieri potest, comprobant omnem motum ex hoc fieri. Si ergo ponendum sit, hoc fluidum electricum referre, quod, ut compertum est, majori vel minori copia accumulari potest, facile dein erit intellectu, quo modo fluidi nervosi abundantia nimia, vel inopia, in aliqua parte cerebri fiat, prior excitationis excessum, et posterior defectum, constituens. Somni praeterea phaenomena demonstrant, quam inaequalis sit hujus fluidi in cerebro conditio. In utroque enim exemplo, ubi hominem vel invadit vel deserit somnus, imperfecta videtur sensorii excitatio; ac mentis facultates nec simul omnes cum vigilia cessant, nec simul cum somno reducuntur, sed gradatim: Et sic variae rerum turbatae imagines se offerunt.

Ex dissectionibus omnibus cerebri in maniacis, quae ad hanc rem enodandam institutae sunt, haud multum lucis affulget. Quod alias siccius et durius solito compertum est, et flavedine fluidi, per totam substantiam corticalem tinctum, alias cum summa meningum crassitudine et ossium cranii, deprehensum est. Haud raro vero nullam omnino laesionem detexit culter anatomicus. De his quid iudicandum? Certe fieri potest laesionem adesse, quamvis haud oculis demonstretur, et quamvis cultrum secantem effugiat.

P R O G N O S I S.

Periculi gradus in omnibus morbis iudicandum est, ex partis affectae momento, et causis morbum inducentibus, prout hae symptomata plus minusve molesta excitaverint. Qualescunque eae sint in mania, eo periculosiorem eam reddunt, quo delirium fortius excitant. Si aeger somno saepe reficitur, salus cito sequutura credenda est. At

vix haec speranda est, si labi haereditariae debetur. Si diu etiam perstitit, pessimum est omen; quoniam ex consuetudine, ob paroxysmos iteratos, corpus, perpetuo ad incurrendum in illos, proclive fit. Quae a mente venit peior quoque esse observatur, quam illa quae ex corpore; et peior etiam est, si laetitia et magna animi hilaritas comitatur, quam tristitia. Haemorrhagiae magnae, dysenteria, et febres, &c. salutem secum fere adferunt.

METHODUS MEDENDI.

Curam hujus morbi, sicut et complurium mentis, saepe certe instituenti, licet cum poeta exclamare,

Hei mihi quod nullis *mens* est—medicabilis herbis.

At, antequam quid tentetur hac via, in primis necessarium est, eos, quorum curae maniacus comitatur, cavere, ne medici consilia inania reddat, medicamenta ejus proterve respuendo. In hoc vero efficiendo, haud necesse

esse est, ut omnis humanitatis sensus exuatur, et miseri prope ad necem flagellis crudeliter caedantur, quod nimis in more est. Quamvis enim audaces et feroces sint, metum tamen facile concipiunt, et artificio ingenioso, quod Anglice vocatur, “strait waistcoat,” omnino prohiberi possunt ab sibi et aliis nocendo.

Inepta admodum cupiditas homines plerumque tenet, miseros illos adeundi, quo nihil est quod diligentius caveri debet. Sin impossibile sit hoc prohibere, omnibus, qui eos adeunt, aliquid eos interrogare, vel denique nimis attente intueri, interdicator; quoniam impressiones novas, quae cavendae sunt, id ex improvviso suscitent.

His provisus, hoc unicum medendi consilium ex causa proxima sequitur, cerebri excitationem obstructam tollere. Quum vero duo sint hujus casus omnino contrarii, ut antea probatum est; necesse est, ut his accommodentur remedia. Si excitationi nimiae debetur, diligenter persequendum est regimen anti-phlogisticum. Si, e contrario, hujus immi-

nutio

nutio sit praeternaturalis, tunc insistendum his modis qui systema aptius stimulent, et deperditam excitationem restituant. Ex hoc mixto consilio organique naturae exquisitae tenera, quod morbi sedes est, patet, rem fore haud parvi iudicii remedia etiam necessaria adhibere. Quocirca, postquam illa omnia percurrit, quae utrumque casum sublevent, monendum iudico, exasperare saepe morbum ea, quae maxime idonea videntur, ex peculiari systematis nervosi in hoc morbo affectione.

I. Ad excitationem minuendam tentanda est venaesectio. Cujus usus hinc maxime pendet, quod, systematis tensione et rigore remotis, liberiore cursu fluit sanguis, et ex vasorum ramis venit ad truncos; unde necesse est, ut subito et larga copia educatur. Si furorem non omnino haec depellet, vehementer tamen mitigabit. Hanc instituere quidam e doctrinae revulsionis fautoribus ex pede et saphaena: At potius videtur, prementibus vultus subinflati, oculorum rubentium et similibus signis, si sanguinis im-

petus

petus detractioe ejus e brachio non multum imminuitur, venam vel arteriam propiorem parti affectae, sicut jugularem vel fortasse arterias temporales, secare. Quod torrentem sanguinis ab encephalo citius avertit, et levamen adfert. Cum eodem consilio temporibus hirudines et cucurbitulae cruentae applicari possunt. Narium enim haemorrhagiae, quae parvula tantum copia insigniter agunt, symptomata urgentia hujus morbi depellendo, ostendunt quanto usui sint haec topicae venae sectiones. Has tamen cujusvis generis instituendo, spectanda hominis temperies est. Plerumque enim non adeo commodae sunt in temperamentis melancholicis, quam sanguineis, ob torporem insignem cui illa obnoxia sunt.

Sanguinis missione praemissa ; catharticis postea sollicitanda alvus est, quae vel asperiora esse debent, vel, si leniora adhibebuntur, multo majori, quam solent, copia praeberi, si quidem, observante Meadio, aegre stimulum nervi in hoc morbo sentiunt. Notandum enim est, auctam mobilitatem in quavis parte

parte praeter naturam, eam vi proportionali semper minuere in aliis. Ad Antyciram infanos suos mandarunt veteres, fidentes hellebori usu. Qualescunque hujus vires olim erant, non magis probari ab recentibus * videtur, quam alia hujus generis medicamenta, qualia sunt aloes, sal catharticus amarus, tartarus solubilis, &c.; potiora quidem videntur haec, quum per totum morbum usui est, alvum solubilem servare. Quod ad emetica spectat, plurimas his confert laudes Monroius †. Refert hic, curasse se penitus quendam laborantem jam tribus annis mania, frequenti eorum adhibitione. Non solum ejiciunt haec ventriculi fordes, sed ad superficiem determinant fluida, et sic transpirationem, quae semper in hoc morbo promovenda est, adaugent. Praeterea, utilia sunt, quum totum systema agitando, animi attentionem, avocent et avertant ex ideis istis ingratis, quibus illam tantum inhaerere delectat. At, ab eorum violenti operatione

cavere,

* Vid. Battie.

† Physician to Bedlam.

cavere, satque prius deplere corpus venaefectione, et catharticis laxare, quam illa adhibeantur, oportet; quia aliter morbum potius incendere, sanguinem ad caput impellendo, possunt. Secretiones et excretionēs omnes pernecessarium est promovere. Gravissimi auctores multum laudant secretionem per urinam in hoc morbo, sicut et in hydrophobia*, in quod propositum datur sal diureticus. Secretionem per superficiem leniter moventia plurimum possunt, quoniam, foramina cutis aperiendo, stimulum e quavis parte corporis subducunt. Quod ad mercurii usu^m; is, qui in fluida praecipue agit, parum convenire morbo, ex systemate nervoso pendenti, videtur.

Quum vero praecipue adoritur hic morbus arcem cerebri, et innumeras in illo concitat oscillationes, aliquis forsitan crederet, has per medicamenta sedativa vel antispasmodica, quorum praecipua et maxime efficacia sunt moschus, camphora, opium, cito

com-

* Mead.

compesci posse. At haud dubia gravissimorum in medicinis experientia, vel eorum usum rejicit, vel caute admodum recipit. Vim enim mixtam haec omnia obtinent et quodam tenus corpus prius stimulant, quam motus ejus errantes sedent. Hinc timor est, ne somnum et quietem, ad quae concilianda omnes tendunt medici conatus, potius fugent quam inducant. Quocirca, ni dura lex necessitas, quae medicum haud raro invitum multa facere subigit, urget, nullatenus adhiberi debent haec, donec cerebri excitatio aliis rationibus aliquantum immiuta sit. Hoffmannus de opio, quod et moschus et camphora operandi modo referunt, “Eae,” inquit, “medicinae quae opium habent in dilirio, improvide datae, illud magis intendunt, et contumacius reddunt, tantum abest ut componat, aut levamen adferat.” Multo tutius tentetur acetum destillatum, quod ex auctoritate celeb. Locher, remedium est praestantissimum.

Com-

Complura recitat hic exempla, quibus illud symptomata gravia excitationis nimiae cito depulit, et ad sensus prorsus restituit. Hoc in eo commodi est, ut per longum tempus et continuo administrare liceat. Nec omitti debet lavationis frigidae usus, qui non solum utilis est, propterea quod corporis sensibilitatem imminuit, sed etiam ut “subita in aquam frigidam immersione, deleantur, mortuo fere sub aquis homine, omnes ideae †. Et, ut frigoris constans sit applicatio, in loco frigidiusculo detineri debet saevissime furens, et, raso capiti, quod Anglice vocatur a *Clay Cap* admoveri.”

Cum suspicio est, lucem † noxiam fieri mentem stimulando, ita, ne aegri nimium lucis recipiant, cavendum. Parum tamen proficient remedia quaecunque, si diaeta parcissima et quam minime stimulans, haud observetur. Haec ex lacte et oleribus tantum constare debet.

Nec cerebri excitationem parum minuit mentem delectare. Varia ergo corporis ex-

Fercitia,

* Van Swiet.

† Celsus.

ercitia, ut ludi instituti, conveniunt, qui eodem tempore, quo ad corporis salutem conferunt, mentem grate refocillant. Sic refert, in praelectionibus suis, Cullenus, quendam, qui maniacos aratro jungere solebat suae curae commissos, et hoc duro labore multos refecit.

Frequentes etiam habere sermones cum aegris, cum illis ratiocinari, et, quantum fieri potest, illos animi affectibus contrariis, iis quibus agitantur, commovere, procul dubio aliquid levamen adferret menti vexatae, et suam conditionem moleste ferenti. Per musicen, quae tum vim eximiam animi molliendi, et lenes affectus excitandi, tum feroces, possidet, hoc fiat. “Cicero * assentior,” inquit, “Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum vix dici potest quanta sit vis in utramque partem: Nam et incitat languentes, et languefacit excitatos. Tum remittit animos, tum contrahit.” Quam potens saepe fit remedium musice, in hujusmodi morbis, pateat ex dissertatione ingeniosi mecum hoc anno candidati Dom. Campbell.

Animum

* De leg. lib. iv.

Animum etiam occupare ejusmodi libris, qui de rebus levibus et jocosis tractant, magno usui erit.

II. Quando excitationis defectus est, stimulantia varia adhibenda sunt, quae sanguinis motum accelerent, et aequalem reddant ejus distributionem per cerebrum. Sic balneum, calore totum systema laxans, et omne tollens impedimentum, prodesse potest. Varia administranda sunt aromatica, et quidem sternutatoria aliquando sunt usui. Opium, cujus usus adeo ambiguus in priore casu est, ut si aliquando profit, saepius noceat, liberius hic praebere posse videtur. Non hic tamen medico desit summa cautela, quoniam magnopere ejus administratio tum noxae est, cum magna est corporis mobilitas. Ut caetera, quae eidem proposito subserviant omittam, necessarium erit eadem adhibere exercitia, quae antea praemonuimus de mentis attentionem removendo. Quod ad dietam attinet, lautior sit quam in priore exemplo.

Commutatio in totius genere vitae, in utrisque his exemplis, tentetur; quoniam observa-

tum

tum est, hanc in morbis nervosi generis saepe profuisse, postquam omnia alia remedia frustra tentata sunt. Oportet, per totum morbum causas occasionales, de quarum nocenti vi jam fufius tractavimus, diligenter arcere; quoniam vel graviorem reddunt morbum, vel solutum reducunt.

Huic tentamini finem jam imposito, tantum restat, ut Anglorum domicilia splendida, in miserrimae hujus partis gentis humanae beneficium, exstruendi, munificentiam commemorem. Nil clarius demonstrat quanti facultates animi aestiment. Ac, si his quando objiciatur, longe plures fieri maniacos inter illos, quam in aliis regionibus, contra, iis gloriari licet, multo melius instrui se cura publica omnibus tanti mali levamentis; gloriari etiam, quod id malum magna ex parte provenit ex civium suorum magna super omnes libertate. Certe, cunctis ex suo arbitrio viventibus, haud mirum erit, si quidam magis, quam aequum fit, animi cupiditatibus inferviant. Ne ergo maniaci, adeo munifi-

munificenter excepti, si quis in sanitatem
eos affereret, cum demente illo exclament,
de quo haec jocosè narrat Horatius:

———Fuit olim ignobilis argis,

Qui se credebat miros audire tragoedos,

In vacuo laetus fessor, plausorque theatro.

Hic ubi cognatorum opibus, curisque refectus,

Et redit ad sese, Pol! me occidistis amici,

Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas;

Et dempta est per vim, mentis gratissimus error.

F I N I S.

